INCIPIT LIBER QUINTUS.

ET FACTUM EST CUM ESSET IN UNA CIUITATUM, ecce uir plenus lepra. et ipſe procidens in faciem rogauit eum dicens. Domine, ſi uis, poteſ me mundare. Et extendens manum, tetigit illum dicens. Uolo. Mundare. Bene uero lepſus mundatur, certus non exprimitur locus, ut oſtendatur non unum populum ſpecialis alicuius ciuitatis, ſed omnium populos fuiſſe ſanatos. Bene autem et ſecundum lucam quarto ſigno, ex quo in capharnaum dominus uenit, iſte ſanatur, nam ſi quartum diem ſole illuminauit, et clariorem ceteris fecit diebus cum illuceſcerent elementa mundi, et hoc clarius opus eſtimare debemus. Et ſecundum matheum primus hic poſt benedictiones a domino ſanatus inducitur, ut quia dixerat dominus non ueni legem ſoluere, ſed adimplere. ille qui excludebatur a lege purgari ſe domini poteſtate preſumens, non ex lege ſed ſuper legem eſſe gratiam iudicaret, que lepſi maculam poſſet abluere. Uerum ut in domino poteſtatis adhortatur, ita in illo fidei conſtantia declaratur. Ille in faciem proſilit, quod humilitatis eſt et pudoris, ut unuſquiſque de ſue uite maculis erubeſcat, ſed confeſſionem uerecundia non repreſſit. Oſtendit uulnus, remedium poſtulauit. Et ipſa religionis et fidei plena confeſſio eſt. Si uis inquit, poteſ me mundare. In uoluntate domini tribuit poteſtatem. De uoluntate autem domini non quaſi pietatis incredulus dubitauit, ſed quaſi colluuionis ſue conſcius non preſumpſit. Cui morali quadam dominus ſedulitate reſpondit. Uolo. Mundare. Et continuo lepra eius diſceſſit ab eo. Nichil enim medium eſt inter opus dei atque preceptum, quia in precepto eſt opus. Denique dixit et facta ſunt. Uidetis ergo quod dubitari non poteſt, quia uoluntas dei poteſtas eſt. Si ergo uoluntas eius poteſtas eſt, qui unius uoluntatis trinitatem aſſerunt, unius utique aſſerunt po